

No. 1134. 1470. 7. Aug.

B. Dietrich vermehrt die Einkünfte des von ihm schon früher gestifteten Altars und der Vicarie S. Michaelis in der Domkirche, und trifft wegen Verwendung der neuerdings zugewiesenen Geldzinsen eingehende Bestimmungen. Vgl. No. 1076.

Theodericus dei et apost. sedis gratia episcopus Misnensis etc. Secundum pastoralis nostri officii congruentiam divini cultus gloriam et Christi fidelium devotionem amplificare obligamur, ut sic populus dei incitatus et reffectus in creatoris surgat gloriam et sanctorum eius venerationem. Hinc est quod nos dum adhuc ecclesiae Misnensis praepositus fuerimus, de bonis nobis a deo collatis in laudem cunctipotentis dei — altare novum in ecclesia Misnensi — in honore sancti Michaelis archangeli et omnium sanctorum spirituum ad divini nominis honorem fundavimus — nomine perpetuae vicariae, sic quod possessor praefati altaris vicarius perpetuus ecclesiae Misnensis censi debet et oculus praepositi appellari —. Sed quia ea quae creatori persolvimus minus sint, quam quae digne persolvi debeant, nos praefatus Theodericus illo eodem tempore, quo adhuc nostrae ecclesiae praepositus extiterimus, de eisdem bonis nobis a deo collatis et paternis vicariae et altari antedictis praeter census prius per nos iuxta confirmationis eius litteras ibi comparatos aliosque census sub titulo reemptionis in forma ut sequitur, duas sexagenas gr. a Valentino Berwald in Lawtschen¹⁾ in termino nativitatis Christi, unam sexagenam aliam vero in termino Johannis baptistae, unam sexagenam a Mertin Vogil in Obigow²⁾, item a valido Conrado Monch in Kain³⁾ unam sexagenam, triginta gr. a Peter Slegil in Lomatsch in termino Michaelis, item a Hans Steck in Dubenicz⁴⁾ unam sexagenam gr. in termino Johannis baptistae, item alterum dimidium florenum Rinensem in termino purificationis Mariae a Mertin Benno in Serekewicz⁵⁾, item tres florenos Rin. a valido Nickel Boititz in Jawernicz⁶⁾ in termino Michaelis et Walpurgis, item alterum dimidium florenum Rinensem a Hans Bener in Dreßden in termino Michaelis in et super bonis ipsorum praenominatorum emimus — quos census sic per nos ad praefatum altare et vicariam sancti Michaelis comparatos non ad vicarium ipsum, qui oculus praepositi dicitur, sed ad oculum decani qui pro tempore fuerit et omnes sibi in eodem officio succedentes ordinavimus et disposuimus, ut ipse idem et sui successores ad infrascripta obligari debeant et onera huiusmodi subire, ita quod singulis septimanis aevis temporibus super altari praefato sancti Michaelis legat et deo persolvat quatuor missas, prout exigentia temporis requirit aut divinitus sibi datum fuerit, in qualibet ipsarum unam collectam modo quo sequitur imponendo. In prima missa imponere debet collectam pro episcopo Caspate et hoc tempore quo in vita sumus, postquam vero ab hac luce nutu divino sublatis fuerimus, pro episcopis collectam in eadem prima missa imponet. In secunda pro benefactoribus, illam scilicet ‚Deus cuius misericordiae non est numerus‘, in tertia de patronis ecclesiae, in quarta

1) Lautzschen, Par. Lommatzsch. 2) Uebigau, Par. Skäs-gen [Par. Kaditz?]. 3) Niederjahna, Par. St. Afra. 4) Daubnitz, Par. Lommatzsch. 5) Serekowitz, Par. Kaditz. 6) Gävernitz, Par. Lenz